

cessaria occupari; non autem debentur eis quasi pretium praedicationis.

Ad sextum dicendum, quod correctio, sive visitatio est spiritalis actus primo modo, quia alicui ex spiritali officio competit: unde simoniam committit qui pecuniam accipit, ut peccatum quod tenetur revelare; aut punire, non revelet, nec puniat: nec etiam pro visitatione facienda accipienda est procuratio quasi pretium visitationis, sed quasi debita ex ordinatione Ecclesiae ad sustentationem: & similiter est de procuratore moderata quam accipere possunt Episcopi in consecratione Ecclesiarum secundum Ecclesiae determinationem.

Ad septimum dicendum, quod cum possessiones alienius loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium religionis, sed ut habeat monasterium unde ei possit providere: & ideo non committitur simonia. Si autem sine gravamine Ecclesiae potest recipi, simonia est aliquid pro reptione exigere.

Ad octavum dicendum, quod docere artes liberales est actus spiritalis secundo modo: & ideo licet magistris artium vendere labores suos, sed non scientiam, sive veritatem, quae spiritalis est: unde dicitur Prov. xxiii. 23. Noli vendere scientiam, & doctrinam, & gloriam.

Ad nonum dicendum, quod iudex ex officio suo tenetur iudicium reddere: similiter etiam quilibet tenetur ex hoc quod est iudicio subditus, ad verum testimonium reddendum. Sed advocatus non tenetur patrocinium suum causae praestare, nec iurisperitus dare consilium: & ideo, sicut dicit Augustinus ad Macedonium, epist. l. iv. prope finem, non debet iudex vendere verum iudicium, aut testis verum testimonium, quia advocatus vendit iustum patrocinium, & iurisperitus verum consilium. Non enim advocatus vendens iustum patrocinium, iustitiam vendit, quae est spiritalis, sed actum suum: & similiter dicendum est de consilio iurisperiti. Sed iudex vendendo verum iudicium, simoniam committit, si sit spiritalis iudex: alias non committit simoniam, sed graviter peccat: & similiter dicendum est de teste.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod, sicut ex dictis patet, spirituale quod sub pretio poni non debet, est duplex, scilicet ipsa res sacra, ut sacramenta; & actus competens alicui ex officio sacro: & secundum hoc etiam est duplex spiritali annexum: quoddam annexum est ipsis sacramentis, sicut vasa sacra, & huiusmodi; quaedam sunt annexa officiis sacris, sicut decima, & juspatronatus, secundum quod juspatronatus est potestas praesentandi clericum ad beneficium ecclesiasticum; & in utroque committitur simonia quantum ad id quod de spiritualitate habet.

Ad primum ergo dicendum, quod vasa sacra nullo modo ratione consecrationis vendenda sunt, ut scilicet pro consecratione eorum aliquid plus exigatur; tamen in necessitate Ecclesiae possunt vendi ex parte eius quod in eis est non spirituale, scilicet materia auri, & tunc si venduntur ecclesiasticae personae, possunt integra vendi; si autem venduntur aliis non ad usum Ecclesiae, debent prius frangi praemissa oratione, ne sancta ab aliis tractentur quam a ministris Ecclesiae.

(1) Vulgata: sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.

Ad secundum dicendum, quod venditio sepulturae potest intelligi dupliciter. Uno modo quod vendatur terra sacra in sepulturam; & de hoc est similis ratio ac de venditione sacrorum vasorum, quia cimiterium consecratum potest vendi ratione terra in necessitate Ecclesiae, sicut & calix ratione materiae, non autem potest vendi ratione consecrationis, ut scilicet aliquis pro pecunia ibi sepeliatur. Abraham autem non peccavit emens speluncam duplicem: quia spelunca illa non erat consecrata in sepulturam: vel si erat consecrata, transivit possessio eius in iurisdictionem cum universitate agri. Emor autem reprehenditur, quia decidit a bona intentione quam prius habuit, volens gratis dare, cum postea eam carissime venderit: vel, ut quidam dicunt, Abraham non peccavit redimens jus quod habebat sepeliendi mortuum, quod quamvis ei Emor non denegaret, tamen sciebat Abraham quod ille moleste acciperet, nisi pretium daretur. Sed primum melius videtur. Alio modo dicitur vendi sepultura, si pro officio quod a sacerdotibus in sepultura funeris dicitur, aliquid exigatur; & hoc non licet, ut ex dictis patet. Tamen si consuetudo est quod aliquid detur, potest per superiorem correctio adhiberi in illos qui denegant dare quod consuetudo exposcit.

Ad tertium dicendum, quod juspatronatus per se vendi non potest, nec in feudum dari. Si autem villa vendatur, & in feudum detur, cui annexum est juspatronatus, transit cum universitate ad illum cui villa datur, vel qui eam emit, non quasi juspatronatus sub venditione cadat.

Ad quartum dicendum, quod jus percipiendi decimas sequitur spirituale officium, quia debetur ministris Ecclesiae: nec laici possunt habere huiusmodi jus, quamvis aliquando ad tempus fructus decimarum laicis concessus sit propter aliquam Ecclesiae necessitatem: & tunc hoc modo quo laicis dari potest, ab eis potest redimi ex auctoritate Episcopi. Tamen una Ecclesia non potest ab alia emere jus percipiendi decimas.

Ad quintum dicendum, quod jus primogeniturae debebatur Jacob ex divina institutione: & ideo non peccavit emens, sed redemit vexationem suam. Sed Esau vendens peccavit.

ARTICULUS III.

Utrum simonia committatur illis tribus modis quos Urbanus Papa determinat.

2. 2. q. c. art. 5.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod simonia non committatur illis tribus modis quos Urbanus Papa determinat, dicens, cap. Salvator causa l. q. iii. Quisquis res ecclesiasticas non ad quod instituta sunt, sed ad propria lucra munere lingua, vel indebiti obsequii, vel pecunie largitus, vel adipiscitur, simoniacus est. Quia, ut supra dictum est, iudex spiritalis, si vendit iudicium, facit simoniam. Sed licet iudex spiritali aliquid munus accipere pecuniae, vel alicuius huiusmodi, ut dicitur extra de simonia c. Etsi quaestiones. Ergo simonia non semper committitur per munus a manu.

Præterea, Papa potest etiam munus a manu suscipere pro aliquo spiritali. Sed, ut quidam dicunt, Papa non potest committere simoniam, maxime

me cum aliqua persona ecclesiastica, quia res Ecclesiae sunt suae. Ergo non semper committitur simonia per munus a manu.

3. Præterea, Gregorius dicit (Lib. IV. Epistol. indict. xi. epist. xviii.) Ecclesiasticis utilitatibus deservientes dignum est ecclesiastica remuneratione gaudere. Ergo si datur aliqua praebenda alicui pro obsequio impenso, non est simonia.

4. Præterea, Unusquisque licite potest petere quod sibi debetur de iure. Sed ordinato, qui non habet beneficium competens, tenetur de iure ordinator eius providere. Ergo non peccat, si petat beneficium: & hoc vocatur munus linguae, scilicet rogatio.

5. Præterea, Si fiant preces pro digno, non committitur simonia ex hoc. Sed preces sunt munera linguae, sive fiant pro digno, sive pro indigno. Ergo munus a lingua non semper facit simoniam.

6. Præterea, Hypocritae faciunt bona spiritalia propter laudes hominum, & tamen non dicuntur simoniaci. Ergo munus a lingua non facit simoniam.

7. Præterea, Sicut amor pecuniae est cupiditatis, ita amor consanguineorum est carnalitatis. Sed si intuitu pecuniae detur alicui praebenda, est simonia. Ergo similiter si detur intuitu consanguinitatis; & tamen ibi non est aliquid praedictorum modorum: ergo sunt insufficientes.

8. Præterea, In commutationibus etiam dignitatum, vel ecclesiasticorum beneficiorum committitur simonia. Sed ibi non est aliquid munus Ergo &c.

9. Præterea, Aliqui prelati recipiunt fructus Ecclesiarum vacantium, & postea conferunt, retenta sibi parte proventuum; in quo non videtur aliquid munus esse, & tamen est ibi simonia. Ergo &c.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod simonia, ut dictum est, consistit in emptione, & venditione spiritalium, vel eorum quae sunt eis annexa. Emptio autem, vel venditio consistit non solum in datione, & acceptatione pecuniae, sed omnium eorum quorum potest pretium numismate mensurari: in his enim est liberalitas secundum Philosophum. Constat autem quod in eisdem est liberalis datio, & venditio, quae est eis contraria. Omnis autem temporalis commodi pretium potest numismate mensurari: & ideo quicumque pro aliquo temporali commodi dat aliquid spirituale, vel annexum, simoniam committit. Bonum autem temporale quod potest aliquis ab alio expectare, vel est ex parte animae, sicut amicitia, aut favor, aliquid; & quantum ad hoc est munus a lingua: vel ex parte corporis, sicut aliquid actus corporaliter exercitus, vel obsequium aliquid exhibitum; & quantum ad hoc est munus ab obsequio: vel est aliquid exteriorum bonorum; & sic est munus a manu; (1) quod consistit in exterioribus bonis. Quantum ad primum committitur simonia per munus a lingua, quia lingua opinionem exprimit, & gratiam conceptam; quantum ad secundum per munus ab obsequio; quantum ad tertium per munus a manu.

Ad primum ergo dicendum, quod Ecclesiae iudicium est quantum ad exteriora: & quia non est probabile quod animus iudicis spiritalis flectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere, ideo in parvis muneribus iudicis, non iudicat simoniam committi. Sed apud Deum, qui cor videt, simonia est & in parvis, & in magnis muneribus, si animus iudicis ex eis flectatur.

Ad secundum dicendum, quod opinio illa erronea est. Si enim Papa pro aliquo spiritali munus acciperet, simoniam committeret, sicut & alius homo: quia sub Petro, cui Papa succedit, simoniae vitium damnationem inchoavit in novo testamento: & quamvis res Ecclesiae sint aliquo modo Papae, non sunt tamen ejus omnibus modis habendi sicut illud quod ad manum habet. Non est autem dubium quod simoniam committeret, si quis aliquid spirituale debitori suo daret, ut quod suum est reciperaret, & ita etiam in proposito Papa a simonia non excusaretur, si (quod absit) spiritalia pro temporalibus rebus Ecclesiarum daret.

Ad tertium dicendum, quod obsequium aut est honestum, aut inhonestum. Si quidem sit honestum obsequium, ex ipso obsequio quandoquidem redditur homo dignus beneficio ecclesiastico, sicut & aliis bonis operibus; & tunc si pactio non intervenit, potest absque simonia beneficium ecclesiasticum dari ei qui obsecutus est, ut non habeatur oculus ad obsequium principaliter, sed ad dignitatem personae: & sic loquitur Gregorius. Si autem sit inhonestum, tunc est omnino simonia.

Ad quartum dicendum, quod munus linguae duplex est: vel quod in ipso actu linguae consistit, sicut laus; vel quod ex lingua initium sumit, sicut cum quis ex hoc quod precibus alicuius satisfacit, favorem expectat. Qui enim dat aliquid spirituale pro favore, vel laude acquirenda, non est dubium quin simoniam committeret. Quando ergo preces fiunt pro indigno, satis apparet quod nihil aliud movet nisi favor, aut etiam periculum evitandum: quia etiam carere malo quoddam bonum est, ut dicit Philosophus in V. Ethic. (cap. vi. vel vii.) Et ideo quando fiunt preces pro indigno, vel aliquo potente qui periculum comminatur, quae dicuntur preces armatae; manifeste simonia committitur, si propter hoc beneficium ecclesiasticum detur. Si autem pro digno fiant quantum ad iudicium hominum, probabile est quod dans magis moveatur intuitu dignitatis personae quam favore precum: & ideo non reputatur simonia. Si tamen principaliter moveatur favore precum; vel timore rogatus, quantum ad divinum iudicium simoniam committit & rogatus, & rogans, si hoc intendat, sive aliquis pro se roget, sive pro alio. Potest enim aliquis pro se petere, si dignus sit, beneficium ecclesiasticum non habens curam animarum, si indiget; sed non si habeat curam animarum, quia praesumptuosum est. Nec tamen est simonia nisi pro tanto quod ex ipsa praesumptione indignus reddatur; & tunc preces suae ex hoc ipso quod rogat, pro indigno fiunt.

Et per hoc patet solutio ad quintum. Ad sextum dicendum, quod emptio, & venditio, in quibus simonia consistit, sunt voluntariae communicationes, quia ex consensu utriusque fiunt. Sed hypocrita per ea quae facit, favorem humanum sibi usurpat per modum furi, quod est involuntaria communicatio: & ideo proprie loquendo simoniam non committit.

Ad septimum dicendum, quod ille qui dat ratione consanguinitatis praebendam alicui principaliter, aut intendit temporale bonum illius cui datur, & non alterius; & sic peccat graviter, sed simoniam non committit, quia non vendit, cum nihil accipiat: aut intendit aliquid bonum in seipsum reducens sic quod magnificetur per hoc; & nobilitetur do-

(1) Al. sicut obsequium aliquid exhibitum (quod omitteretur paulo supra) vel consistit &c. M. (c)

domus sua; vel quod ipse in consanguineis sit fortior; & sic ipse aliquid accipere sperat pro quo spiritalia dat; & simoniam committit, & reducitur ad id munus in quo continetur commodum quod ex tali datione sperat.

Ad octavum dicendum, quod in tali permutatione est simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, talis commutatio fiat; si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia: unde tunc potest fieri commutatio ex auctoritate Episcopi diceciani.

Ad nonum dicendum, quod in hoc distinguendum est: quia si ante donationem praebeandae proventus percipiat pro aliqua justa causa, & non intervenit aliqua spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia: unde tunc potest fieri commutatio ex auctoritate Episcopi diceciani.

EXPOSITIO TEXTUS.

N<sup>e</sup>que ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum surrogare: non quia ordinem non recipit, sed quia male promotus est; quod contingit dupliciter. Uno modo ex parte ordinantis, sive cum est haereticus, sive simoniacus, vel quocumque alio modo ab Ecclesia separatus; & sic est in proposito: sive cum ordinatur a non suo Episcopo sine licentia: & auctoritate proprii Episcopi; & tunc debet deponi, nisi Episcopus ponat spem in ratihabitione alterius Episcopi, sicut de beato Epiphano in epistola sua (apud Hieronymum) legitur: sive ordinetur ab Episcopo qui abrenuntiavit officio, & loco. Si enim officium sibi retinuerit, loco abrenuntians, potest conferre minores ordines, & de licentia Episcopi etiam majores. Alio modo (2) est male promotus, quia non promovetur sicut debet; quod contingit dupliciter. Primo quia furtive accipit ordinem, ut cum accipit duos ordines sacros una die, vel unumquemque sine licentia Episcopi; & poenaltium est depositio: & tunc si fuit super hoc lata excommunicatio, solus Papa potest cum eo dispensare; si autem non fuit, potest etiam Episcopus dispensare, praecipue in minoribus ordinibus, vel si claustrum intraverit. Secundo quia praetermittit aliquem ordinem: & tunc si ex malitia facit, debet deponi, quamvis characterem recipiat; si vero ignoranter, debet sibi imponi poena ab Episcopo, & interim careat executione ordinis, quousque ordinem praetermissum recipiat.

Quisquis horum alterum vendit sine quo alterum non habetur, neutrum vendere derelinquit. Hoc est intelligendum de illis quorum unum quod venditur, ordinatur ad alterum, quod sub pretio cadere non potest: sic beneficia ecclesiastica sunt ordinata ad ministrorum

DISTINCTIO XXVI.

De sacramento conjugii, & causa ostenditur.

CUM alia sacramenta post peccatum, & propter peccatum exordium sumpserint, matrimonii sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum a Domino, non tamen ad remedium, sed ad officium. Refert enim Scriptura Gen. 11. in Adam misso sopore, atque una de costis ejus sumpta, & ex inde muliere formata, virum, in spiritu intelligentem, ad quem usum mulier facta esset, post extasim prophetae

(2) Al. etiam. (3) Forte instrari, ...

dixisse: „Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suae, & erunt duo in carne una.“

De duplici institutione conjugii.

C<sup>ON</sup>jugii autem institutio duplex est. Una ante peccatum ad officium facta est in paradiso, ubi esset torus immaculatus, & nuptiae honorabiles, ex quibus sine ardore conciperet, sine dolore parerent: altera post peccatum ad remedium facta extra paradisum propter illicitum motum devitandam. Prima ut natura multiplicaretur; secunda ut natura exciperetur, & vitium cohiberetur. Nam & ante peccatum dixit Deus (Gen. 1. 28.), „Crescite: & multiplicamini:“ & post peccatum omnibus pene hominibus per diluvium consumpris. Quod vero ante peccatum institutum fuerit conjugium ad officium, post peccatum vero ad remedium concessum, Augustinus testatur, dicens (super Gen. ad litteram Lib. IX. cap. vii.). „Quod sanis est ad officium, egrotis est ad remedium. Infirmas enim incontinentiae, quae est in carne peccatum mortua, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum.“ Si vero non peccasset primi homines, sine carnis incentivo, ac fervore libidinis ipsi, ac successores eorum convenirent. Et sicut remunerabile est aliquod bonum opus: sic coitus eorum bonus esset, & remunerabilis. Quia vero propter peccatum letalis concupiscentiae lex membris nostris inhæsit, sine qua carnalis non fit commixtio, reprehensibilis est, & malus coitus, nisi excusetur per bona conjugii.

Quando secundum praeceptum, quando secundum indulgentiam contractum sit conjugium.

P<sup>R</sup>ima institutio habuit praeceptum, secunda indulgentiam. Didicimus enim ab Apostolo (I. Corinth. vii.) humano generi propter vitandam fornicationem indultum esse conjugium. Indulgentia vero, quia meliora non eligit, remedium habet: non praemium; a quo si quis declinaverit, meretur exitiale iudicium. Quod secundum indulgentiam conceditur, voluntarium est, non necessarium: alioquin transgressor esset qui illud non faceret. Et potest sane intelligi illud sub praecepto dictum hominibus primis ante peccatum (Gen. 1. 28.), „Crescite, & multiplicamini:“ quo etiam post peccatum tenebantur usquequo est facta multiplicatio, postquam secundum indulgentiam (1) matrimonii contractus fuit. Ita etiam post diluvium, quo universum pene humanum genus deletum est, secundum praeceptum dictum est filiis Noe (Gen. ix. 1.), „Crescite, & multiplicamini.“ Multiplicato vero homine, secundum indulgentiam contractum est, non secundum imperium.

Quibus modis accipiatur indulgentia.

I<sup>N</sup>dulgentia autem diversis modis accipitur; scilicet pro concessione, pro remissione, pro promissione. Et est permissio in novo testamento de minoribus bonis, & de minoribus malis. De minoribus bonis est conjugium, quod non meretur palmam; sed est in remedium. De minoribus malis, idest de venialibus, idest coitus qui fit causa incontinentiae. Illud, scilicet conjugium, indulgetur; idest conceditur; istud vero, idest coitus talis, permittitur, idest toleratur, ita quod non prohibetur.

Quod nuptiae sint bona.

F<sup>U</sup>erunt autem nonnulli haeretici nuptias detestantes, qui Tajiiani appellati sunt: hi nuptias omnino damnant, ac pares fornicationibus, aliisque corruptionibus faciunt, nec recipiunt in suorum numero conjugio utentem marem, vel foeminam. (Ex Augustino Lib. de haeresibus haer. xxv.) Quod autem res bona sit conjugium, non modo ex eo probatur quod Dominus legitur conjugium instituisse inter primos parentes, sed etiam quod in Cana Galilaeae nuptiis interfuit Christus, easque miraculo commendavit, aqua in vinum conversa: qui etiam postea virum dimittere uxorem prohibuit, nisi causa fornicationis. Apostolus etiam ait (I. Corinth. vii. 26.), „Virgo non peccat, si nubat.“ Constat ergo rem bonam esse matrimonium; alioquin non esset sacramentum: sacramentum enim sacrum signum est.

Cujus rei sacramentum sit conjugium.

CUM ergo conjugium sacramentum sit, & sacrum signum est, & sacrae rei, scilicet conjunctionis Christi & Ecclesiae, sicut ait Apostolus (Ephes. v. 31.), „Scriptum est (inquit): Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suae; & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.“ Ut enim inter conjuges conjunctio est secundum consensum animorum, & secundum permixtionem corporum; sic Ecclesia a Christo copulatur voluntate, & natura, quia idem vult cum eo, & ipse formam sumpsit de natura hominis. Copulata est ergo sponsa sponso spiritualiter, & corporaliter, idest charitate, ac conformitate naturae. Hujus utriusque copulae figura est in conjugio. Consensus enim conjugum copulam spirituale Christi & Ecclesiae, quae fit per charitatem, significat; commixtio vero sexuum illam significat quae fit per naturae conformitatem.

Qualiter intelligendum sit illud: Mulier illa non pertinet ad matrimonium cum qua non est commixtio sexuum.

I<sup>N</sup>de est quod quidam doctorum dixerunt, illam mulierem non pertinere ad matrimonium quae non experitur carnalem copulam. Ait enim Augustinus (a) & habetur in Dec. xxvii. quaest. 11. cap. „Non est

(1) Forte matrimonium contractum fuit.

(a) Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Apud Augustinum non occurrit: & summam esse sententiae Leonis quae cap. Cum societas ibidem subjungitur, appendix notat. Sumptum est autem caput istud ex epist. xc. Leonis ad Rusticum.